

LXXI. Summa, tantum possumus quantum credimus, ut Cyprianus ait: Et secundum illud Chrysofomi, τὸ πᾶν τῆς πίστεως ἐστὶ, omnia Christianorum in fide consistunt. μόνη ἡ πίστις ἱεροποιεῖ αὐτὴ καὶ θεοποιεῖ αὐτὴ, sola fides sanctificat & deificat, ut loquitur Clemens Alexandrinus in Protreptico, &c.

IO.  
Suffragia Patrum.

VI.

Bona opera non sunt necessaria ad salutem conservandam?

V I.  
Bona opera non sunt causa retentiva salutis.

LXXII. Cæterum non credendum est Fidem initio tantum Iusticiam & Salutem apprehendere, postea verò officium suum operibus resignare, ut illa deinceps vitam & salutem conservare debeant; sed potius secundum mentem & sententiam Concordiæ nostræ firmiter statuendum: Fidem & salutem in nobis conservari aut retineri, non per opera, sed tantum per Spiritum DEI, & per fidem, (quâ salus custoditur) Bona autem opera testimonia esse, quod Spiritus Sanctus præsens sit atq; in nobis habitet.

Sententia formulæ concordiæ.

LXXIII. Quantumvis autem ante motam hanc Controversiam, multi sinceri Doctores phrasi hac & similibus, Bonis operibus retineri fidem & salutem, usi fuerint? id tamen magis factum est ex simplicitate, quàm ut hâc ratione errores Pontificiorum confirmare vellent. Cum autem postea de ejusmodi phrasibus disceptationes, scandala, & distractiones varia exorta sint; longè tutissimum est formam sanorum verborum non minori diligentia, quàm ipsam sinceram doctrinam firmiter retinere, quâ ratione multis non necessariis concertationibus ansa præciditur, & multa in Ecclesia DEI offendicula præcaventur.

Nondum illis litigantibus securius loquebamur.

Ἐπιτήδευσις τῶν ὑγιαινόντων λόγων retinenda.

d

LXXIV.